FORTVNA AVREA
AVGVSTORVM SAXONIAE
EX CONNVBIO
FAVSTISSIMO AVSPICATISSIMOQVE

SERENISSIMI PRINCIPIS

FRIDERICI AVGVSTI

PRINCIPIS REGII

ET ELECTORATVS SAXONICI HAEREDIS

CVM

SERENISSIMA PRINCIPE

MARIA IOSEPHA

ARCHIDVCE AVSTRIAE

ET

AVGVSTISSIMI IMPERATORIS

DIVI IOSEPHI

FILIA

NVPER ADMODVM PACTO

REFVLGENS

IN PRAESENTI ORATIONE

HVMILLIMO MENTIS CVLTV AGNITA

ET PRISCA RELIGIONE DEDICATA

A

CHRISTOPHORO FRIDERICO AYRMANNO

LIPSIENSI

Si tantam mihi in præſenti dicendi copiam et facultatem Deus immortalis concederet, ut pro eo ac par eſt cum uniuerſæ patriæ, tum mei inprimis animi lætitiæ ac pietatis ſenſum exprimere poſſem, nouum et immortale erigerem fortunæ felicitatiſque Saxonicæ monumentum, non marmore extructum, auroque et argento ſuperbiens, ſed ab eodem, ex quo enaſceretur, pectore ut materiam, ita uitam perfectionemque ſuam trahens. Antiqua illa, partamque domi foriſque gentis noſtræ gloriam conſeruatura inſignia et trophæa, quamuis lapide ferroque munita, artificumque ingenio æternitati deſtinata fuerint, temporis tamen iniuriam, communemque mortalitatis legem uitare haud potuerunt. Iam dudum iſta labefactata et diſſoluta cernimus, ſed uiuit nihilominus perennisque manebit priſcorum Saxonum memoria, et quam diu homines erunt extabit non ciuium ſolummodo, ſed exterorum quoque uocibus ſermonibuſque celebrata, qua illi Saxoniæ ſemper in Principibus eius fortunam ac felicitatem proſecuti

 ſunt,

ſunt, admiratio: manifeſto argumento, eos tantummodo, quibus in hominum cordibus pietas religioque iuſtæ laudis ſtatuas collocauit, communi mortalium conditioni exemtos cenſeri, perpetuoque duraturis ſeræ poſteritatis annalibus inſcribi. Ad ſummum iam patria noſtra fortunæ ac felicitatis faſtigium aſcendiſſe uidetur, cum tantam ad priſtinam Sereniſſimorum ſuorum Principum fortunam acceſſionem factam eſſe ſtupet, ut quæ iam pridem antiquæ Domus Saxonicæ ſortem ſuperauit, ſe ipſam quoque in poſterum non immerito ſuperatura iudicetur. Quominus audebit deinceps priſca gentis noſtræ felicitas cum recenti fortuna certamen experiri, quandoquidem Principum fortuna noſtra eſt. Talibus enim profecto nos diuina clementia Principibus beauit, qui cum paterno plane ſubditos ſuos affectu complectantur, eorundemque fortuna non aliter afficiantur ac ſua, hoc uiciſſim a nobis uniuerſis ac ſingulis iure quodam ſuo conſequuntur, ut eorum non modo fortunam, ſed uitam quoque et incolumitatem noſtram reputemus, et ſi quid ex communi ipſis omnium uoto propriæque mentis ſententia obtigerit, id omne noſtrum interpretemur. Quod quidem arctiſſimum publicæ priuatæque fortunæ uinculum quid aliud nobis, quibus tam fortunato Principum noſtrorum fortuna ſeculo ſoloque natis futuram

turam in terris beatitudinem præſentire datur, perſuadere debuit, quam ut, quacunque poſſumus ratione, eo nobis enitendum eſſe exiſtimemus, ut ſummam aureæ huius ætatis felicitatem, per ſe quidem mori neſciam, a poſterorum tamen etiam, naſcendorumque poſt infinita ſi qua forent ſecula nepotum obliuione uindicemus? Intuemur oculis noſtris et ſuſpicimus ad inuidiam uſque futuri æui ſurgentia creſcentiaque indies Regiæ magnificentiæ et ſplendoris opera. Sed ſi poſt magnum aliquem innumerabilium annorum orbem neminem extiturum fingamus, qui ueſtigia hæc eſſe præſentium temporum meminiſſe atque eloqui poſſet, credamusne tantarum molium extructione prouiſum ſatis fuiſſe conditoris immortalitati? An uero exiſtimemus ipſam, qua nunc gaudemus, noſtrorum Principum patriæque felicitatem omnium ætatum gentiumque oculis obuerſaturam, ſi idoneis præconibus laudatoribusque deſtituatur? Vnus hic eſt præcipuus ſermonis et orationis uſus, ſi ingens illud ſummi numinis beneficium ad Principum præſertim patriæque utilitatem conuertamus, eoque perpetuam illis conciliemus ſecuramque futuri uitam. Atque ut Regum Principumque eſt, factorum operumque magnitudine et excellentia nomen ſibi famamque ſempiternam quærere, ita ſubditorum eſt officium, nunquam morituram iſtarum

 rerum

rerum memoriam grata mente conſeruare, eandemque ad poſteros propagando immunem præſtare ab obliuione & mortalitate. Hoc igitur dignum adeo bono ciue munus ego quoque in præſenti tentare auſus, ſi rem ſuſcepiſſe uiribus maiorem, ac ſucceſſu operis optato caruiſſe uiſus fuero, me tamen partim rei ad dicendum propoſitæ magnitudine, partim conſilii inſtitutique mei honeſtate excuſatum iri confido, ut qui non aliam deſiderem conatus huius experimentique mercedem, quam ut non quidem eloquentiæ, cuius exiguam in me facultatem eſſe ſcio, ſed pietatis ſaltem in Principes patriamque perſpicuo hoc et ſincero teſtimonio declaratæ laudem mihi reportare liceat. De quo eo minus dubitationis foueo, quod ad dicendum non caſu delatus, non ambitione inflatus, non audacia impulſus, non propoſito denique externæ gentis more præmio inuitatus, atque ad ſeruilem quandam adulationem inductus ſum, ſed ultro, ac liberali plane ingenuoque animo, ſoloque publicæ lætitiæ et innati in Principes patriamque ſtudii et amoris ſenſu, neque illaudabili meorum ciuium, quibus eandem mecum ſententiam, par meo gaudium, communis exultationis commercium eſſe intelligo, æmulatione permotus ad id acceſſi.

Video

Video initio ſtatim orationis meæ amplum mihi et ſpacioſum præſentem Saxoniæ fortunam deprædicaturo campum aperiri. Quanta enim noſtra eſt felicitas, quod Rege gaudeamus non nomine tantum, ſed re ipſa Auguſto! quantum, quod alterum iam præſentemque intueamur patrii et nominis et uirtutis hæredem! quantum, quod meliori conſcientia, liberiorique et coniunctiori uoce, quam populus olim Romanus Auguſto Cæſari Traiano, Avgvstis noſtris Optimi deferre queamus cognomentum! quantum, quod Optimi ſint noſtri Principes, cum ſibi uel maxime ſoli iſtud diuinitati competens nomen nunquam arrogarunt! quantum, quod ipſi præ ceteris fortunati, noſtræque fortunæ autores ſint et conſeruatores! quantum denique, quod duo ſint, non unus! Sed iam in anguſtius, quamuis per ſe humanæ etiam mentis anguſtias excedens, ſpacium orationis meæ curſum reuocabo, et Avgvstorvm ſaltem noſtrorum Sereniſſimorum fortunam ac felicitatem, cum aliis innumeris rebus, tum recenti inprimis lætiſſimo auſpicatiſſimoque Sereniſſimi Principis Regii et Electoralis cum Sereniſſima omniumque ſui ſexus laudum cumulos complexa Principe MARIA IOSEPHA, Auguſtiſſimi quondam Imperatoris IOSEPHI filia, pacto connubio comparatam, atque ad ſummum iam progreſſam perfectionis apicem, celebrabo,

eam-

eamque auream nuncupando, non ſolum eodem illam, quo olim aurea Auguſtorum Imperii Romani Cæſarum fortuna affecta eſt, ſed maiori etiam honoris ac religionis cultu uenerabor. Tu uero ſumme ſalutis æque ac fortunæ noſtræ autor ſtatorque cœptis meis aſpira.

Præcipua ſemper antea hæc mihi Regis noſtri Sereniſſimi fortuna uiſa eſt, quod talem genuerit et educarit Principem, qui non ſolum poſt ipſius fata certus et indubitatus eſſet paternorum bonorum titulorumque hæres, ſed eo uiuente adhuc, tantæque ſuæ felicitati ſuperſtite, precioſiſſimam illam diuinæ in Parente indolis uirtutumque uere regiarum hæreditatem adiiſſet. Quanta uero uiciſſim Sereniſſimi Principis Regii cenſenda fuit felicitas, quod a Parente natus ſit ipſa fortuna et uirtute ſuperiore. Inane uanumque eſt in Regibus præſertim Principibusque uirtutis ac fortunæ nomen, niſi quam referat inſigniatque ſecum coniunctam habeat ingenii rectitudinem excellentiamque, conſiliorum præſtantiam et circumſpectionem, factorum honeſtatem et magnitudinem, gratiam denique ac fauorem cœli. Abducamus pauliſper a ceteris curis et cogitationibus mentem ad ſolam huius non ſimulacri, ſed ueræ uiuentisque uirtutis ac fortunæ contemplationem, ut perfecta nobis et abſoluta eius forma ſpeciesque innoteſcat. Euoluamus præteritorum præſentiumque tempo-

temporum, noſtræ item exterarumque gentium annales, atque in ſecretiora etiam Principum cubicula penetrare ſtudeamus. Comparationem denique hiſtoriæ domeſticæ cum externa, recentioris cum antiqua, inſtituamus, et neminem unquam cum Sereniſſimo noſtro Rege aut naturæ perfectione, aut uniuerſæ uitæ actione parta et confirmata prudentia, iuſtitia, fortitudine, magnitudine animi, aut denique felici euentuum ſucceſſu comparandum, eoque non dicam ſuperiorem, ſed neque parem fuiſſe apparebit. Diſperſa hæc animi et fortunæ bona diuiſaque per plures Regum Principumque inuenire licet, ſed in quo tam ſuaui concordia et complexu mutuo ſingula connexa et copulata reperias, alius uix occurret. Quod meum de Sereniſſimo noſtro Rege iudicium ne cui ad adulationem plauſumque fictum compoſitumque uideatur, repetamus tantummodo ſuperioris temporis actorum memoriam, ſpectemusque integri, et ſapientiſſimi ſemper, qua meliorum fuit partium, in Principe æſtimando deligendoque populi dignum fide et autoritate ſuffragium. Nonne in tanto patriæ auitæque libertatis ſtudio, tantoque regni candidatorum numero, omnis eum laudis menſuram impleuiſſe oportuit, cui natio imperio alieno falſiſque perſuaſionibus parere neſcia, neque minus idonea ueræ in Regibus Principibusque uirtutis arbitra, poſthabitis reliquis, regnum ultro detulit, cariſſimumque

libertatis ſuæ depoſitum aſſeruandum tradidit tuendumque? Quod ſi uero præterea diuini aliquid mortalium mentibus ineſſe fatendum eſt, ſuperioris utique cœleſtisque poteſtatis de Sereniſſimo noſtro Rege ſententia cenſeri debet, quod iam diu ſtabilis et fixa omnium inſedit mentibus opinio, eum non Regio ſolum, ſed altiori quoque ſolio eſſe natum. O fortunatum uirtute ſua Principem, cui diuina æque ac humana fauent et inſeruiunt iudicia! Quid porro de fortuna Regis noſtri dicam? quam ille uariam expertus, dum in utraque ſe eundem ſemper præſtitit, neque unquam a ſecunda ſeſe deſeri, neque opprimi ab aduerſa paſſus eſt, nonne qui in poteſtate ſua fortunam habuit, tanquam ſuperiorem fortuna admiremur? Certiſſimum hoc eſt uirtutis ueræ indicium præmiumque, ut cultores eius et poſſeſſores tandem aliquando extra conſuetam fortunæ aleam poſiti, tuti ab iniuria caſus et ludibrio conſiſtere uideantur. O fortunatum igitur ipſa fortuna ſua Regem! O incomparabilem plane Principem! Equidem non diffiteri poſſum, antiquos illos, et ætate magis quam alia re ſuperiores Sereniſſimo noſtro Rege Saxoniæ Duces et Principes non uniuerſos ſolum, ſed etiam ſingulos ſæpe exemplum ueræ abſolutæque uirtutis, quam exteri quoque in eis mirarentur, extitiſſe. Sed maius tamen perfectiusque longe uirtutis exemplar in præſenti Sereniſſimo Principe intueri licet, utpote qui

omnia

omnia maiorum ſuorum decora et ornamenta unus complexus eſt. Suſpicimus enim in Sereniſſimo hoc FRIDERICO ſimul omnes antiquos Fridericos, quorum aliis Grauis, Strenui, Bellicoſi, aliis Pacifici, Sapientis, Magnanimi cognomentum ſua cuiusque uirtus comparauit. Veneramur in eodem ueterem illum Auguſtum, ut primum nouæ noſtrorum Electorum Familiæ genitorem, ita nulli, excepto Sereniſſimo noſtræ ætatis AVGVSTO, uirtute et gloria ſecundum. Ab hoc ſine dubio ingenita et occulta quadam ratione poſteritati ipſius implantata eſt ſublimis illa et erecta indoles, ac magnitudo animi regio etiam ſanguine non indigna, tum recti ſtudium et ſubditorum amor, quorum uitam moresque optimis inſtitutis et legibus tam ſapienter tamque ſedulo formauit, ut nouam ab eo demum tempore melioremque priori faciem Saxonia noſtra ſortita uideatur. Ab eodem cum natalibus ſuis naturæ bonitatem et excellentiam, eundemque ſemper uitæ tenorem traxerunt Chriſtiani et Georgii, quorum merita præſens ætas noſtra colit, futura deprædicabit, perfectum uero omnium exemplum in Sereniſſimo noſtri aeui AVGVSTO admirari nunquam deſinet. Quamobrem unicus hic ex omnibus Regibus Principibusque dignus mihi ſemper uiſus eſt, quem Cæſaris Romanorum Auguſti, idonei quondam uniuerſi propemodum terrarum orbis domini ac rectoris nomine, Felicisque eius ſucceſſorum

titulo, cohoneſtemus. O fortunatum tanto Parente non paterni ſaltem nominis Saxonicique Electoratus, ſed Regiarum inprimis uirtutum felicitatumque hæredem! Si ex pueritiæ primæque adoleſcentiæ moribus certum de hominis indole futuroque uiuendi inſtituto capere licet argumentum, perpetuam Saxoniæ paremque ſemper priori felicitatem iam tum ſpondebat ac pollicebatur rectum Sereniſſimi Principis ingenium, rectaque educatio, cum puerum adhuc ſimilem quondam Parentis fore præſagire uidebatur. Eſt tamen utique reliquis etiam dandum aliquid ominibus, quamuis ratio ſæpe et cauſa eorum indagari nequeat. Nulla enim mihi relinquitur dubitatio, quin illa interpretatio diuinæ mentis fuerit, quam fidelium quorundam ſubditorum pietate expreſſam argentoque inſcriptam eſſe recordamur, cum primum alter hic Saxoniæ FRIDERICVS AVGVSTVS in lucem ederetur. Nam pro uero Principis modo nati nomine occulta quædam ratio FVTVRVM ACHILLEM Saxoniæ, ſeruata primarum literarum conuenientia, ſuggerebat. Achilles uero iam priſcis temporibus pro exemplo habebatur Principis omnibus numeris abſoluti, qui præſentem rectumque ciuium ſuorum ſtatum conſeruaret, corruptum emendaret, res inclinatas ac labentes ope ſua, conſilio auxilioque in priſtinum uigorem attolleret erigeretque. Quæ omnia, et maiora forſan, in Sereniſſimi noſtri Principis no-

mine

mine tunc nobis fata promittebant. Sed hactenus quid ſperandum de Sereniſſimo Principe fuerit expoſui, iam quid de eo in præſenti conſtet, paucioribus tamen quam rei dignitas poſtulat uerbis declarabo, ut concordia ominis cum euentu nouæ lætitiæ materiam nobis ſubminiſtret. Obſeruamus eum in primæ adhuc ætatis flore conſtitutum, nihilominus tamen uirilis in eo uigor, ac ſenilis prudentia, partaque longinquis inprimis et diuturnis peregrinationibus cultiſſimorum maximorumque regnorum ac populorum notitia, quin imo ipſo uſu confirmata imperandi ſcientia, iam diu dignum eum præſtitit, qui non ſolum a ſubditis ſuis, ſed ab integris aliquando populis ac nationibus idem, quod Sereniſſimus Parens meruit, uirtutis ac fortunæ teſtimonium præmiumque conſequatur. Neque ignota hucdum atque illaudata etiam apud exteros Regia illius indoles permanſit. Mirantur eum et ſtupent Batavi, Galli, Itali, aliique, quorum oculis eum aliquandiu obuerſatum eſſe ſcimus. Abſentem quoque neque unquam uiſum uicini his populi uenerantur, apud quos fama inuſitatarum in Principe noſtro uirtutum eundem quem apud alios præſentia effectum habuit. Præſentem uero, atque in ſinu ſuo genitum et educatum exoſculatur Germania, amorisque ſui quod potuit ampliſſimum ipſi pignus tribuit, dum Auguſtæ Sereniſſimæque Domus Auſtriacæ fauorem ei ſtudiumque conciliauit. Ad

faſtigium ſcilicet fortunæ ſuæ noſtri Principes ſine Auguſtisſimi Germaniæ noſtræ Cæſaris, Familiæque Auguſtæ gratia et fauore aſcendere haud poterant. Vt enim fortuna noſtra a Principum noſtrorum felicitate pendet, eaque incolumi neque metu neque damno affici poteſt, ita felicitas noſtrorum Principum Cæſarum inprimis Auſtriacorum amicitia coniunctioneque non ſolum augetur et amplificatur, ſed etiam læta ſemper conſtans et perpetua redditur. Hic ſenſus, hæc opinio, non caſu et temere enata, ſed certisſima publicæ utilitatis euentuumque ſucceſſus ratione explorata, a multis abhinc annis tam alte animis Serenisſimorum Saxoniæ Electorum inſedit, ut eis diuino quaſi conſilio inſerta eſſe uideatur. Nondum longinquitate temporis ex hominum mentibus deleri et extirpari potuit memoria antiquæ Cæſaris in ueterem Saxoniæ Electorem iræ atque inimicitiæ, uniuerſæ ſine dubio et antiquisſimæ Domui ruinam perniciemque immiſſuræ, niſi cœli fauor, et clementia Cæſaris obſtitiſſet. Quanquam non ſine ſupremi numinis uoluntate accidiſſe hæc res putanda eſt, ut ſcilicet uniuerſa aliquando Saxonia præſentem in Sereniſſimis ſuis Principibus, Sereniſſimorumque nouæ Familiæ conditorum autôrumque recordatione felicitatem adipiſceretur. Ad quos poſtquam diuino nutu, Auguſtiſſimique Imperatoris ſingulari beneuolentia Electoratus Saxoniæ translatus fuit, pariter et

lachry-

lachrymas illas ueteres abſterſas, et ſuppreſſa ſuſpiria, et extirpata funditus exitium mox tractura diſſidia apparuerunt. Quem ſaluberrimum et Sereniſſimæ Domui, et uniuerſæ Saxoniæ, Auguſtæ illius amicitiæ fructum grata mente noui ſemper Electores agnouerunt, ac tanquam præcipuum fortunæ ſuæ præſidium et firmamentum Sereniſſimam Domum Auſtriacam amplexi ſunt et coluerunt. Primus iam Electoralis Familiæ Parens Auguſtus abunde expertus eſt ſummam obſeruantiæ ſuæ utilitatem. Vix ille ad nouam dignitatem fraterna morte aſcenderat, cum molitionibus hominum nouarum rerum cupidorum tentabatur. Actumque fuiſſet de recenti Imperatoris in ipſius fratrem beneficio, niſi in eodem, qui contulerat, tutiſſimum ſalutis ſuæ portum firmamque dignitatis anchoram Auguſtus inueniſſet. Sed ſi nulla quoque habenda eſſet priuati alicuius commodi ab Auguſtiſſimis Imperatoribus conſequendi ratio, perpetuum tamen Electorum cum Imperatore conſenſum in eumque pietatem et obſequium poſtularet Imperii Germanici, cuius ille caput eſt, arctiſſimus cum eo nexus, et antiquiſſimum illud regni ampliſſimi uinculum. Hæc non Imperii ſolum, atque ex conſuetudine repetita, ſed æterna honeſtatis lex eſt, quæ non temere, nec ſine urgente neceſſitate deſeri ac uiolari debet. Sed perſuadent etiam perpetuam Imperii erga Domum Auſtriacam præſentemque potiſſi-

tiſſimum Auguſtiſſimum Imperatorem fidem et obſeruantiam ſumma eius potentia et inuſitata felicitas, atque in uniuerſum Imperium merita ſtudiumque, quod uiuentem adhuc fruentemque ſua gloria CAROLVM iam dudum immortalitati conſecrat, cœleſtiumque aſcribit numero. Quorſum etiam aliæ quædam ſecretioresque Sereniſſimæ inprimis Domus Saxonicæ rationes accedunt, quas noſtri Principes iam pridem partim ex uicinia terrarum, partim ex aliis rerum momentis prudentiſſime collectas ſumma cum ſolertia ſubduxerunt. Iſtud profecto manifeſtum et exploratum eſt, ſine Imperatorum Auſtriacorum amicitia nunquam patriam noſtram ſatis tutam et tranquillam eſſe potuiſſe, quæ contra in ſuauisſima illa communium Principum concordia molliter omni tempore requieuit. Quid iuſtius igitur, quid ſapientius Sereniſſimis Saxoniæ Electoribus fingi et excogitari poteſt, qui de obſeruantia ſemper in Auguſtam Domum Auſtriacam honeſtisſima æmulatione cum aliis decertarunt. Tanta fuit Chriſtiani ſecundi huius nominis Saxoniæ Electoris in Auguſtos Cæſares, quorum conciliator etiam aliquando extitit, pietas, ut ſecundum Deum Cæſarem ſibi colendum ac uenerandum putarit, eandemque ſententiam uerbis expreſſam ſymboli loco uſurparit. Quam quidem ſententiam Sereniſſimum eius Fratrem et ſucceſſorem Georgium in ueſtibulo conclauis ſuæ

aureis

aureis inſcribi curaſſe literis, eiusque quamdiu uixit obſeruantisſimum fuiſſe legimus. Cui ſtudioſisſimo Domus Auſtriacæ Principi quantum Matthias et Ferdinandi duo Auguſtiſſimi Imperatores debuerint tribuerintque, ex altera parte repetitum Vicariatus munus, ex altera uero non infrequens Cæſarum hoſpitium teſtatur. Teſtes ſummorum eius in Auſtrios meritorum ſunt clades Boiohemicæ, conceſſaque Electori in præmium laboris impenſarumque Luſatia. Et quamuis ineuitabilis plane neceſſitas eum ad arma traheret compelleretque, Cæſaris tamen per medios enſes æque ac pace reconciliata fidisſimus permanſit amicus. Eadem quæ *Patri*, Sereniſſimo eius Filio et Succeſſori mens fuit, idem in Auſtriam ſtudium, cuius perſpicuum argumentum tam diu præbebit Leopoldi electio, quam diu glorioſiſſimi huius Imperatoris extabit memoria. Quem ille præterea ope conſilioque contra Turcos Gallosque ſtrenue adiuuit, fideique erga Imperatorem fruſtra per hoſtes ſollicitatæ æternum monumentum poſuit, exemplo et incitamento futurum poſteris, ne unquam ab obſequio Auguſtiſſimo Imperatori præſtando temere recedant. Quid de Ioanne Georgio tertio huius nominis Saxoniæ Electore dicam? cuius in Domum Auſtriacam propenſio animi omnibus eius maiorum ſtudiis palmam præripuiſſe uideri poterat, niſi huius uictoriæ gloriam fata ætati noſtræ reſeruaſſent. Rei communis

nis ille ſtudioſior, quam propriæ priuatæque, non breue uitæ ſuæ in officio Cæſari Imperioque probando tempus conſumſit. Cuius profecto a Turcis tunc Gallisque infeſtati præcipuus ſemper ſoſpitator extitit. Iam Vindobonam uſque atrocisſimus Chriſtiani nominis hoſtis perrexerat, et de expugnanda urbe cogitabat, cum inter primos ille libertatis ac ſalutis Auſtriacæ uindices ab Italis etiam ſcriptoribus numeratus, hoſtium munitiones perrupit, magnum eorum concidit numerum, caſtris eos exuit, ac bellum deinceps in Hungariam procul ab urbe disiecit, campis Budenſibus, quos infidelium ſanguine madefecit, egregium eius fortitudini fideique teſtimonium apud ſeram Cæſarum poſteritatem exhibituris. Gallis interea, perpetuis olim potentiæ felicitatisque Auſtriacæ æmulis ad arma reuerſis, iamque in uiſcera Germaniæ ſæuituris, maſcule ſe oppoſuit, Moguntiam eis eripuit, aliaque uirtutis ſuæ edidit ſpecimina, quæ adhuc omnium ſermonibus celebrata narraturi diligentiam uix admittunt. Quæ eadem nobis debebat eſſe ratio, cur a Sereniſſimi noſtri Regis in Auguſtiſſimum Imperatorem Auſtriosque ſtudio deprædicando abſtineremus. Sed uenia admirationi iuſtæ danda eſt, quæ rerum magnitudine excitata, quamuis præſentes illæ ſint neque ignotæ, noua tamen ſemper et repetita earum contemplatione alitur et augetur. Obuerſatur

omnium

omnium mentibus Sereniſſimi noſtri Regis cum Auguſtisſimis Imperatoribus amicitia, in ipſa eorum aula primum inita, ſuauiterque deinceps omni tempore culta et prorogata. Regium eſt, beneficium in ſe collatum nouo ſtatim maiorique beneficio compenſare. Quam igitur Auguſtisſimo Imperatori Sereniſſimus noſter Princeps acceptam retulerat gratiam, eam in bello cum Turcis gerendo, cui ipſe a Cæſare præfectus fuerat, abunde retulit. Teſtis prudentiæ eius et fortitudinis eſt Tranſyluania metu uicini hoſtis ab eo liberata. Arbitra uictoriarum Hungaria, oppletis hoſtium occiſorum armis et cadaueribus agris, ipſiuſque manu interfecto aduerſarum partium duce. Quibus rebus præclare geſtis, ſi ueterum Romanorum exercitibus præfuiſſet, dignum omnino ſeſe præſtitiſſet, qui aureo inuectus curru opima Ioui Feretrio ſpolia unus ex paucis dedicaſſet. Quam uero in bello Auguſtæ Domui probauit fidem et obſeruantiam, eam in pace quoque nullo non tempore exhibuit. Hæc officia in Auguſtisſimum inprimis noſtræ ætatis Imperatorem CAROLVM perpetuæ Sereniſſimo Regi noſtro gloriæ futurum ipſius Vicariatum decorant, et maximo ſunt reliquæ etiam uitæ ornamento. Omnia uero in Auſtrios ſtudia hoc ſane longisſime ſuperat, quod Sereniſſimum Principem Regium, certiſſimumque paternarum

 uirtu-

uirtutum hæredem, a teneris ſtatim colendo Auguſtisſimo Imperatori Familiæque Auguſtæ aſſuefecit, ac ne quando tam neceſſaria utriuſque Sereniſſimæ Domus coniunctio intermitti tolliue poſſet, aptisſimum illud amicitiæ perpetuo continendæ affinitatis uinculum expetiuit. Nonne probatisſimi eum erga Domum Auſtriacam moris affectusque fuiſſe oportuit, cui optimo iure meritoque in connubium conceſſa eſt Auguſtisſimi quondam Imperatoris IOSEPHI Filia, exemplum omnium quæ Principes ornant et perficiunt uirtutum, abſolutisſimarumque ſui ſexus feminarum regina, neque niſi Imperatoriæ indolis marito digna? Gaudete ergo præſenti Veſtra ad ſummum perfectionis culmen perducta fortuna, Serenisſimi Saxoniæ AVGVSTI. Quod enim amplius Vobis illuſtriusque Veſtri in Domum Auſtriacam ſtudii officiique præmium ſperandum ſupererat, quod certius deſideratiusque amicitiæ Auguſtæ perpetuo duraturæ pignus in gremio Veſtro deponi poterat, quam ſi ipſa Summi Imperatoris Filia, in ſpem non defecturæ, atque ab utraque in poſterum Serenisſima Domo origines ſuas repetituræ ſobolis, alteri adoptanda, alteri ſocianda traderetur? Hanc ſine dubio Vobis Deus immortalis felicitatem in optatam uirtutum uere Regiarum mercedem, fortunæque Regiæ complementum reſeruauit.

Qua-

Quapropter a uero non aberrauero, ſi hanc Sereniſſimorum patriæ noſtræ AVGVSTORVM fortunam, cum reliquis felicitatum, quas hactenus perſecutus ſum, uel potius attigi, generibus comparatam AVREAM appellaro. Quemadmodum enim aurum et natura ſua, et externa ſpecie ac nitore, et ſingulari denique eius uſu pro præſtantiſſimo omnium metallorum haberi ſolet, ita præſens Sereniſſimorum Principum noſtrorum fortuna cunctis præteriti futurique temporis collata felicitatibus humanas de eis ſpes et opiniones non uincere ſolum uidetur, ſed etiam re ipſa ſuperat, atque ad ceterarum quoque conſeruationem quam maxime utilis eſt et neceſſaria. Pleraque antiquarum, qua uanis religionibus deditæ fuerunt, gentium pars fortunam pro numine quodam, uel ſummi cuiusdam numinis poteſtate habuit, quæ rerum humanarum euentus regeret et moderaretur. Quam illa ob rem pro moribus temporum uario etiam honoris cultusque diuini genere affecta eſt. Romanorum natio ut reliquis ſuperſtitionibus mirum in modum fuit dedita, ita complures quoque Fortunas, harumque centum propemodum templa, aras, ſtatuas collocauit et uenerata eſt. Præ reliquis tamen ſancta apud eos fuit aurea Fortunæ in ſecretiori Cæſarum Auguſtorum cubiculo religioſe cultæ effigies, quippe a qua omnium fortunarum et Imperii inprimis

 mis

mis perpetuam proſperitatem repetere et expecta-re uidebantur. Hanc ob rem ipſi Auguſti Cæſares morti propinqui auream hanc Fortunam, tanquam arcanum quoddam Imperii, a fidiſſimis hominibus ſedulo et diligenter aſſeruari atque ad ſucceſſorum transferri cubicula curabant. Quo meliori iure nos, quibus Fortunam Sereniſſimorum noſtrorum AVGVSTORVM noſtram appellare datur, et qui aurea nos fortuna eorum aurea exiſtente ſecula adeptos eſſe credimus, diuino, ſi liceret, honore afficeremus Sereniſſimam Auſtriæ Archiducem MARIAM IOSEPHAM, proximi Deo Auguſtiſſimi Imperatoris Filiam. A qua cum iure meritoque omnis præteritæ felicitatis complementum, auſpicatiſſimumque futuræ principium repetendum, optandum, ſperandumque nobis ſit, nonne hanc ipſam, quæ auro præſtantiorem Principibus noſtris fortunam conciliat, eodem more, quo obſeruantiſſimus olim ſuorum Cæſarum populus, AVREAM AVGVSTORVM noſtrorum FORTVNAM nuncupemus? Qua uero ratione, quibus uocibus, quo geſtu, declarabimus Tibi, Sereniſſima Princeps, honorem illum diuino proximum, quo Te mentis noſtræ pietas religioque colit et ueneratur? Etenim Te non ſolum in ſanctiori Palatii parte noſtri Principes arcano quodam ſacrorum ritu colunt, Tibi ſubditorum quoque ſtudium publice priuatimque

innu-

innumeras dedicat ædes, aras, ſtatuas. Iam dudum corda Tibi noſtra communis omnium in Te amor uouet. Hæc Tibi in præſenti templa ſingulorum reuerentia conſecrat. Indignum hoc putare noli ſumma Tua dignitate miniſterium. Immortale enim quiddam huic ineſt ſeruitio, quod breui unius hominis uitæ ſpacio terminari neſcit. Ad ſeram quoque poſteritatem eorum cultus propagatur et religio, quibus talia olim templa ipſorum merita extruxerunt. FORTVNAM TE appellamus AVGVSTORVM noſtrorum AVREAM, ſed præterea ex ueterum Romanorum ritu BONÆ SPEI et SALVTARIS cognomentum addimus. Quid ex uſu Principibus, quid patriæ, quid nobis futurum de Te ſperemus optemusque, ex publica Saxoniæ intelligis lætitia. Eandem igitur Te ſemper præſta, quam nobis læta omnium omina et auſpicia pollicentur. Nihil a more priſcæ religionis alienum abs Te petimus. Quamuis enim talem putarent ueteres eſſe deorum naturam, ut eos non niſi bene et clementer poſſe mortalibus facere, noſtræque adeo admonitionis minime indigere exiſtimarent, quoniam tamen aliquando noſtra ipſorum culpa mala ſequerentur, pro his ſaltem declinandis auertendisque deos officii ſui admonendos eſſe ſtatuebant. De Te uero, ut quod res eſt dicam, maius omnino quiddam ſperamus, confidimusque Te,

neque

neque ſi quid a nobis commiſſum fuiſſet, quamuis poſſes, bonitatem Tuam, clementiam et ſalubritatem eſſe mutaturam, neque ſi uelles non mutata prius natura Tua poſſe. Quam igitur, qualemue Tibi porro in perpetuam diuinæ huius indolis memoriam fingemus collocabimusque ſtatuam? Auro argentoque, ut bene nouimus, pietatem noſtram non metiris, multoque minus noſtra talibus rebus indiget religio, quæ non manuum noſtrarum opus eſt, aut facultatum ſacrificium requirit, ſed æternitatem conſecuturo piæ mentis exercitio continetur. Interea tamen neſcio qua ratione animus noſter imaginum quarundam contemplatione delectetur, quas humanum aliquando ingenium artificioſe efformauit. Hac animi uoluptate ſi mihi in præſenti perfrui liceret, elegantiſſime expreſſam Romanorum ueterum acumine Fortunæ ſpeciem Sereniſſimæ Archiduci pauliſper circumponerem induceremque, non quaſi cultus noſter talia deſideret, ſed ut cum muta quadam inanimataque effigie comparata uiua ipſius loquensque pictura in cogitationibus noſtris abſolutior præſtantiorque appareat. Admodum uſitate autem ita olim Fortunæ ſimulacrum effingebant, ut manu ſiniſtra cornu Amaltheæ teneret, dextra uero nauis gubernaculum gereret. Et cornu quidem iſtud in fabulis a Ioue ipſius nutricibus hac conceſſa facultate traditum fuiſſe dicitur,

ut

ut, quodcunque optarent, capere exinde poſſent. Hoc igitur in manu Fortunæ collocabant, ut quæcunque homines uellent et cuperent ab illa accipi et donari ſibi poſſe crederent. Sed clauum præterea dextræ apponebant, ut in manibus et poteſtate Fortunæ omnia ſita eſſe intelligeretur, quæ cornu contineret, ab eaque, quibuſcunque uellet, poſſe pro lubitu diſtribui. Iam pridem abs Te, Princeps Sereniſſima, plura et maiora expectamus, quam quæ olim Amaltheæ cornu in ſe comprehendere putabatur. Omnium enim et ſingulorum felicitatem Principum noſtrorum fortuna complexa eſt. Quam cum in Tua eſſe poteſtate, atque abs Te ut uiſum fuerit augeri ac minui poſſe uideamus, nonne iure meritoque publicæ Saxoniæ felicitatis puppim curæ Tuæ commiſſam eſſe ſtatuamus? Quod cum ita ſeſe habeat, quid amplius nobis ſupereſt, quam ut Te precibus noſtris ueneremur, uelis, quæcunque e re ſua Principibus patriæque eſſe uidebuntur, quæcunque uniuerſi ac ſinguli commodis ſuis profutura cupient optabuntque, larga in eos manu effundere, neque deſertam abs Te felicitatis noſtræ nauim incertis uentis ac fluctibus committere, ſed pro Fortunæ bonæ ſpei ac ſa-

lutaris more, quam ueteres quadrato ſaxo inhærere fingebant, non ipſa ſolummodo Tibi ſemper in benefaciendo cupiendoque conſtare, ſed nobis quoque conſtantem procurare perpetuoque duraturam felicitatem. Memoriæ proditum ab antiquis ſcriptoribus legimus, apud Romanos aliquando aureas Fortunæ effigies in ſolio Iouis Capitolini, quem illi tanquam Optimum Maximum ceterorumque deorum regem et principem præcipuo honoris cultu afficiebant, collocatas fuiſſe. Quodnam conuenientius Tibi ſit, Sereniſſima Princeps, hoc ſummi numinis conſortio? Abs Te enim ſecundum Deum immortalem ut multa alia, ita iſtud inprimis, quod ſæpius commemoraui, ſummam omnium reliquorum complexum bonum petimus. Societatem præterea Fortuna in Templo Iouis Capitolini aliorum quoque deorum dearumque inueniebat. Hic enim iam priſcis temporibus Terminus et Iuuentus ſubſtitiſſe ferebatur, quibus deinceps Iuno ac Minerua, aucto denique illata aurea Victoriæ ſtatua horum numinum numero, acceſſerant. Veniam nobis, Sereniſſima Princeps, dabis, ſi Tibi quoque, quæ dudum conuictu ſuperum digna es, eosdem non quidem ſocios noſtræ uenerationis,

ſed

ſed ſimulacra quaſi Tui muneris, aut, ſi quidem talibus indigeres, exempla, adiungamus. Terminus apud Romanos ſtabilitatem ſecuritatemque Imperio ac ſaluti publicæ largiri putabatur. Abs Te ſicuti Principum noſtramque felicitatem repetimus, ita firmamentum eius perennitatemque expectamus. Iuuentus ſerena neque in rugas contracta fronte, hilari facie, uultu benigno, eademque ſemper fingebatur. Te nobis propitia mutationem inpoſterum fortuna noſtra haud metuit, neque iniquitatem caſus horret. Cœptum ſemel Te nobis annuente curſum haud deſeret, et qualis iam nobis arridet, talis omni tempore permanebit. Iunonem ueteres non Lucinam tantum, id eſt quæ uitæ lucisque mortalibus afferret beneficium, ſed Soſpitam quoque et Conſeruatricem appellarunt. Te, Sereniſſima Princeps, proximi a uita beneficii, felicitatis ſcilicet noſtræ autorem nominamus et colimus, Tibi tutelam committimus rerum uita cariorum, præſidio Tuo nos fortunasque noſtras commendamus. Verendumne nobis aliquando erit, ne concepta de Te ſpe uotoque excidamus? Suſpicimus certe in Te Conſilium, quod a Fortuna plerique ueterum excludere ſolebant. Hoc Tibi, nullis alioqui

ſubiectæ legibus, admirabili plane exemplo imperare cernimus, ita ut non ſaltem in contubernio Mineruæ, quam ueteres prudentiæ deam et autorem eſſe ſtatuebant, educata, ſed ad ipſius prudentiæ formulam ficta et compoſita eſſe uidearis. Hac una re ipſa denique Victoria maior ferream neceſſitatem, duraſque, quibus nulla pars temporis uacat, fatorum leges feliciſſime ſuperabis. En iucundiſſimum plane in ſola Sereniſſima Archiduce Auſtriæ plurium diuinitatum conſortium! En ſpeciem Fortunæ auro præſtantioris! Acerbe mecum dolent omnes Sereniſſimi Potentiſſimique Regis noſtri ſubditi, quod Regio illius fortique, quo præſenti communique Saxoniæ Fortuna digne frui poſſent, animo deſtituantur. Pleraque enim mortalium regnandi artis imperitorum, neque ad ſumma natorum pars ita affecta eſt, ut rebus ſecundis atque ad uotum fluentibus diffidentius utatur, et quotidie nouæ mutationis metu ac ſuſpicione angatur et horreat. Quapropter antiquis etiam temporibus cum Fortuna coniunctam eſſe Fidem memoriæ proditum legimus, ut hoc quaſi ſymbolo id demum uerum eſſe bonæ Fortunæ indicium ueteres ſignificarent,

carent; ſi, quos fortunatos feciſſet, eos non ſolum ſemper et ubique tales præſtare poſſet, ſed etiam uellet: quorum alterum Fortunæ, alterum Fidei eſſet proprium, quam ſæpiſſime a Fortuna abſuiſſe ex euentu cognitum ſit perſpectumque. Niſi excuſationem meretur, ueniam tamen certe conſequetur noſtra ſollicitudo et diligentia, qua præſenti temporum felicitati diffidentes, futurique curioſi, Aureæ Sereniſſimorum noſtrorum AVGVSTORVM Fortunæ Fidem adiungimus, eamque ut ſida ſemper alterius comes eſſe uelit precamur. Quibus precibus cum ipſe Deus immortalis annuat, ad poſtremum denique pietatis noſtræ munus acceſſum facimus, Aureæque AVGVSTORVM noſtrorum Fortunæ aras ponimus, non marmore exciſas, non uictimarum ſanguine imbutas, non thure oneratas, non florum breui marceſcentium honore redimitas, ſed oris noſtri miniſterio ut extructas, ita ex imo pectore enaſcente fidei, amoris noſtri et obſequii prouentu cultas, auctas, cumulatas, ueterumque more talibus inſcriptas et conſecratas uerbis,

 HAS.

HAS. TIBI. ARAS
AVREA
AVGVSTORVM. NOSTRORVM
FORTVNA
SAXONIAE. TVAE. PIETAS
DICAT. DEDICATQVE
VTI. SIS
VOLENS. PROPITIA
PRINCIPIBVS. SVBDITIS
VNIVERSIS. SINGVLIS

Has aras quoniam in communi Dei immortalis templo collocamus, non immerito easdem precibus ad eum pro Aurea Sereniſſimorum noſtrorum Principum Fortuna fuſis initiamus. Auro ut nihil præſtantius, ita durabilius nihil eſſe ſolet. Perpetuam ergo conſerua Deus immortalis ſemperque duraturam Sereniſſimorum Principum felicitatem. Ipſe ut conſtantiam, ita Fidem ei adhibe culpari metuentem. Annis adhuc et ætate floret AVREA AVGVSTORVM noſtrorum FORTVNA, Sereniſſima Archidux Auſtriæ. Non corporis illa tantum, ſed mentis inprimis perpetuam

petuam iuuentutem agat. Non niſi canitie, aliiſque ſenectutis pretiis decoratam terris eripe, cœloque inſere. Inſpira illi, o Cœleſtis Amor, perpetuum Sereniſſimi Principis FRIDERICI AVGVSTI amorem, in numeroſæ et nunquam defuturæ Sereniſſimæ Domui prolis ſtudium ſeſe diffundentem. Fac illa Regem Sereniſſimum, Optimum, Felicem, Patrem patriæ, fac Sereniſſimam Reginam, Ocellum Saxoniæ, et Amore ipſo amabiliorem, fac Sereniſſimum Principem Regium, Spem et Delicias noſtræ gentis, fac denique Regiam poſteritatem auro cariorem ducat. O auream tunc Principum noſtrorum felicitatem! O auream Fortunam Saxoniæ! ſi nos in partem amoris huius uenire haud dedignatus fueris. Hoc Fortunarum publicæ priuatæque conſortium ſi diuturnum Deus immortalis eſſe iubebit, meliori iure Auream aliquando Societatem appellabimus, quam cuius a Sereniſſimo olim Saxoniæ Electore Chriſtiano huius nominis primo in fidei ſingularis præmium inſtitutæ recordamur. Tu uero ſumme Deus conſtantem ac durabilem, et ſi quid preces noſtræ ualent, perpetuam nulloque tempore interruptam præſta Auream

hanc

hanc Societatem. Serua quam diutiſſime Aureos plane Saxoniæ AVGVSTOS. Sic Aurea ſemper uniuerſæ Saxoniæ erit Fortuna.

WITTENBERGAE
LITERIS VIDVAE GERDESIANAE.
ANNO CIↃIↃCC XVIIII